



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Cap. I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Ratio est, quia dicta prohibitionis totus finis est, ne praeiudicium aliquod oriatur Parochis, quod neutiquam fit, si Religiosus Religiosum inungat, in quos nulla Parochus iurisdictione gaudet.

§. IV. De Adiutore Ministrantis hoc Sacramentum.

1. **A**djutor, seu respondens Sacerdoti hoc Sacramentum Ministranti, indicavi supra, solere esse Clericum, immò sufficere etiam Laicum, & aliquando posse nullum adesse. Inquiri nunc præterea, an liceat esse Fœminam?

2. Respondeo, nequaquam licere: nec scilicet, respondendo ad preces, nec multo magis, tergendò sensus infirmi vincti.

3. Quid si deficiant viri omnes? Adhuc sentio cum Quintanadueña de Extr. Vñt. sing. 6. potius Sacerdotem sibi debere respondere, & eundem ipsum abstergere unctiones, quam Fœminam adhibere. Nam ex una parte, ejusmodi Adiutorem adesse, non est necessarium in hac functione, & ex alia Fœminæ in Sacris Canonibus semper arcetur ab immediatis huius ministeriis Sacramentorum.

CAPVT VIII.

Quo tempore ministrari potest Extrema-Vñctio.

1. **Q**uocunque hora, quocunque tempore, quocunque die: non enim est, unde coarctatum

sit ejusmodi tempus.

2. Solum in tempore Interdicti prohibetur idem nimum in Sacro-textu cap. Quod in te de personis remiss.

3. Excipi tamén ab hac prohibitione debent, Pœnitentia, quibus pro illo tempore concessum est privilegium (quod an, & quatenus concedatur à Bulla Canonizatur in tract. de interdicto. Interim lege à Cruciatore Bulla Crue. cap. 5. dub. 5. num. 1. ubi etiam dicitur, quod Religiosos.)

4. Excipe Secundo, quando moriturus Sacramentum Pœnitentiæ recipere non potuit; nam in hoc casu extrema-Vñctio est medium valde probabiliter periculum ad animæ infirmi salutem, unde illam non prohibet Ecclesia, sicut, nec tunc prohibet collationem sacramenti Pœnitentiæ.

5. Quoniam vero acquiri primam gratiam, & peccatum oblitum remitti Fideli baptizato per infusionem aliorum Sacramentorum bona fide, & contritione factam, est solum probabile; Ita Sicut Extrem. Vñt. disp. 41. scilicet. 1. num. 19. per Pœnitentiam vero, & Extremam-Vñctionem sit mortaliter committitur Suar. ibidem, ideo puto non esse alienum ab Ecclesiastice potuit recipere Sacramentum Pœnitentiæ, (et hoc non perit aliquod aliud Sacramentum, etiam Eucharistiam posse Vñctionem Extremam tunc suscipere, illique ad eundem eam ministrari, ut scilicet certius ejus collationem solatur.

DE SACRAMENTO ORDINIS. LIBER SEPTIMVS.

CAPVT PRIMVM.

§. I. Quid sit Ordo, & Quotuplex.

ORDO, seu ordinatio est Signum sensibile, quo spiritualis potestas cum impressione Characteris tribuitur viro baptizato circa Eucharistiam, qua conficiendam, qua ministrandam.

2. Signatè autem dicimus (circa Eucharistiam) omnes enim Ordines relationem, seu habitudinem habent, sive remotè, sive proximè ad unum Eucharistiæ sacrificium, vel conficiendum, vel ministrandum Nam propterea licet illi plures sint, tamen, quia omnes habent prædictam moralem unitatem per eandem relationem ad Eucharistiam, unum sunt Sacramentum, lege Bellarminum lib. 1. de Ordine c. 8. & Marchinum de Ordine p. 1. cap. 15.

3. Ordines autem esse septem, idest quatuor Minores, Ostiariatum, Lectoratum, Exorcizatum, Acholiatum, tres verò Maiores, nimirum Subdiaconatum, seu Hypodiaconatum, Diaconatum, & Sacerdotium, vel pueri non ignorant, quorum officia dicam inferius.

4. Primam tonsuram, & Cardinalatam non esse Ordines, Episcopatum verò non esse diversum Ordinem à Sacerdotio, sed ejus extensionem quandam, qua Episcopodatur potestas ordinandi Sacerdotes, Episcopos,

& denique Archiepiscopatum, & Papatum non esse Ordines diversos ab Episcopatu, seu à dicta extensione Sacerdotis, satis sit innuere: legantur Doctores plures Bellar. loc. cit. 50. Leand. de Ord. disp. 1. 2. 3. & 10. alioquin, & quasi. 14. 15. 17. Sanc. in cons. lib. 7. cap. 10. dub. 3. Castrop. de Ord. p. 3. num. 3. Quintanad. de Ord. sing. 4. num. 5.

5. Solum nota, ex eo, quod Episcopatus est ex officio Sacerdotis; sequi, nulliter, & invalide ordinari Episcopum, eum, qui Sacerdos non est, quia Episcopatus prærequirit essentialiter Sacerdotium, quod non est in aliis ordinibus. Nam quamvis illicite quis tonsureretur v. g. Sacerdotio, si præcedentibus Ordinibus careat, valide tamen initiaretur, quia Sacerdotium non essentialiter, sed solum ex præcepto, illos alios ordines supponit.

§. II. An omnes Ordines sint Sacramenta.

1. **M**inores quatuor, esse Ordines, certum est, quia tales pronuntiat Tridentinum sess. 23. can. 2. de Sacram. Ordin. & merito, quia faciunt gradum, seu ordinem in Ecclesia supra tonsuram insignitos, quæ tonsura est ianua, seu fundamentum Ordinum, non Ordo.

2. An vero Minorum horum Ordinum collationes sint Sacramenta, dissentunt Doctores. Vasquez tom. 3. in 3. p. d. 257. Aliique quos citat Leand. de Ord. d. 1. p. 6. in 3. p. d. 257. Alique quos citat Sanchez in cons. lib. 7. cap. 1. d. 1. Leand. l. c. quasi. 6. Averla de Ord. quasi. 1. scilicet. 1. Castrop. tom. 4.

tem. 4. tr. de Ord. p. 3. n. 9. tamen cum communiore, & probabiliori sententia esse, probat; quos Doctores, si est otium, adi.

MAIORES.

3. Subdiaconatus collationem esse iterum Sacramentum, est longe probabilius; quamvis fatear, opinionem dicentem non esse, in censuram vocari non posse, cum enim nonnulli Docti sequuntur, vocantque probabilem.

4. Quod autem collatio Diaconatus sit Sacramentum, videtur accedere ad certitudinem fidei. Lege Averf. *de cit. scilicet* 3. Apud Callrop. *loc. cit.* n. 5. Sor. Layman. alioque apud Leand. *de Ord.* d. 1. q. 7. & March. *tr. 1. de Ord.* p. 1. c. 6. vocat valde probabilem.

5. Denique Sacerdotium, & Episcopatus, prout, includit Sacerdotium, de fide est, esse Sacramentum. At prout superaddit extensionem dictam §. *præced.* n. 5. licet non sit de fide, est tamen certissimum esse Sacramentum, ut apud Vasquez. alioque citatos videre poteris.

6. Quoad praxim, illud ex dictis colligi debet, Ordinem, cum iam dixerimus, esse Sacramentum, unde suam producit gratiam, debere digne ministrari ab Episcopo ordinante, & digne recipi ab ordinato, id est sine conscientia peccati mortalis, ut supra libro primo de Sacramentis in univ. explicatum est. Sed difficultas propria hic se offert: An id sentendum sit de omni Ordine, etiam de prædicta extensione; ita ut per quemcumque indignam collationem, vel receptionem illorum, committatur novum numero peccatum.

7. Respondeo. Ita est sentendum in sententia, quam, ut probabiliorē secuti sumus, docentem, eos omnes esse Sacramenta, multo magis de illa extensione, quam diximus, certo esse Sacramentum. At quia non potuimus negare probabile esse, Subdiaconatum, & Minores Ordines non esse Sacramenta, ut modo vidimus, ideo probabile etiam erit, eam ministrare, ut vult Leand. cum multis *disp. 2. de Ord. quasi. 21. & 22. Quintanad. de Ord. sing. 17. n. 1.* vel suscipere, non esse saltem mortale.

CAPUT II.

De Materia, Forma, & Officiis primæ Tonsuræ, & Minorum Ordinum.

§. I. Prima Tonsura.

1. **E**st deputatio ad canendum in Choro seu Ecclesia, & ad ejusdem obsequium.

2. Conferitur ab Episcopo per abscissionem capillum, loco materiæ, & per hæc verba, loco formæ, ab eodem Episcopo, & simul ab ordinando pronunciata: *Dominus pars hereditatis meæ, & pars mea Deus in æternum.*

Dico (loco materiæ, loco formæ) cum enim prima Tonsura Ordo non sit, vera materia, formæque non indiget: nam propterea, his omis, valide quis (teste March. *de Ord.* tr. 2. p. 1. cap. 12.) deputaretur ad obsequia prædicta, si quocumque alio modo, ipso consentiente, ad ea addiceretur ab Episcopo.

3. Officium primæ Tonsuræ est, deputare Fidelem ad canendum in Ecclesia, ob quam rationem vocaturis Plalmista, & ei imponitur, ut semel recitet septem Plalmos Pœnitentiales cum Litanis, & Precibus consequentibus. Destinatur item per ipsam Fidelis ad obsequium, & famulatum Ecclesiæ, unde sit capax beneficiorum Ecclesiasticorum, & aptus ad Ordines sequentes.

4. Ut autem id hac occasione dicam, adverte, prædictas Orationes imponi ab Episcopo, tum tonsurato, tum cuilibet ordinato in Minoribus, & quidem semel, etiam si receperit simul dictam Tonsuram, & quatuor

Part. III.

omnes Ordines: imponi, inquam, non sub peccato, sed sub consilio. Ita March. *loco citato cap. 8.* cum Navarr. & Reginaldo sicuti idem sentiendum esse de Maturino, & Missis, quæ idem Episcopus imponit Ordinato in Sacris, dicam mox *cap. 4.*

§. II. Ostiarius.

1. **E**st Ordo Ecclesiasticus, per quem datur potestas claudendi, aperiendi, & custodiendi Ecclesiam.

2. Ejus materia remota, sunt claves Ecclesiæ, Proxima est porrectio, seu traditio clavium. Forma sunt illa Episcopi verba. *Sic age, quasi rationem Deo redditurus pro his rebus, quæ his clavibus includuntur.* Adduntur tanquam ceremoniæ, aperiire, & claudere fores ejusdem Ecclesiæ, & illi tradi campanulam, seu funiculum, quo ea ligatur, quibus ostenditur exercitium Ordinis, quem susceperunt.

3. Ostiarii munus est; secundum Leand. *de Ord.* d. 2. *quasi. 10.* ex March. *loco citato tract. 2. p. 2. cap. 3.* aperiire & admittere, custodire Ecclesiam, advocare, & admittere dignos, indignos excludendo, Campanas pulsare (explicat Gaspar Hurtad. *de Ordin. differ. 5.* id intelligi, tempore sacrificii) suppellectilem Sacram. custodire, denique aperiire librum ei, qui est prædicaturus; quod tamen ultimum in usu certè non est. Lege Gaspar. Hurt. *lib.*

§. III. Lectoratus.

1. **E**st Ordo Ecclesiasticus, quo conceditur potestas Prophetias, & scripturas legendi in Ecclesia.

2. Ejus materia remota est liber continens Sacras Lectiones, id est Epistolas, & Prophetias. Proxima est ejusdem libri traditio. Forma. *Accipe, & esto verbi Dei realiter, habiturus, si fideliter, & viriliter officium tuum impleveris, partem cum iis, qui verbum Dei ab initio bene ministraverunt.*

3. Munus ergo Lectoris est legere prædictas Prophetias, & Sacras scripturas, etiam Evangelium, sed extra Missam, nam, in hac, est officium respectivè subdiaconi, & Diaconi. Item ejusdem Lectori est munus Cathecumenis baptizandis fidei rudimenta tradere: Olim panes, & fructus novos Lector benedicebat, minori tamen solemnitate, quam ea, quæ convenit ordinatis in Sacris, ut notat Gaspar. Hurt. *loco citato*, verum hodie id abrogatum esse, Marchinus *de Ord.* tr. 2. part. 3. cap. 3. testatur.

§. IV. Exorcistatus.

1. **E**st Ordo Ecclesiasticus conferens potestatem imponendi manus super Energumenos, legendique Exorcismo, ad Demones fugandos.

2. Materia ejus remota est liber Exorcismorum, Proxima ejusdem libri traditio, Forma. *Accipe, & com-menda memoria, & habes potestatem imponendi manus super Energumenos sive Baptizatos sive Cathecumenos.*

3. Ejus ergo officium est manus imponere super Energumenos, atque exorcismos legere; Olim Exorcista edicebat Populo, ut, qui non communicabant, darent locum aliis communicaturis, & aquam, qua in ministerio Baptismi usus erat Baptizans, infundebat, sed hodie hæc, ipso non usu, abrogata esse, idem *ibidem* notat Marchinus.

§. V. Acolyhatas.

1. **E**st Ordo Ecclesiasticus, quo datur potestas accendendi luminaria, & ceræ, & accensum transferendi ad altare, porrigendi Subdiacono Vireolos, pro Sacro ministerio.

2. Materia remota hujus Ordinis est duplex, altera, est candelabrum cum ceræ extirpato, altera, sunt Vireoli vacui. Horum traditio est materia proxima. Notatque Bonacina *de Sacram. Ord. quasi. 27. part. 3. num. 6.*

I 3 cit.